

iam si nondum ad summum fastigium euecta est pingvitus, non tamen otiosi spectatores tuto possunt esse Medici, quibus ejusmodi habitu præditorum hominum sanitas concredita est, cum præsertim iis tempori prospicere melius possimus; alioquin status summus minus commode vel promptè admittit impetuofam curationem. Continuanda præterea etiam est curatio vel præsertim pro majori incremento arcendo; idque potu quoque ordinariò medicatò, aliisve modis tentandum; cum aliàs facillè sarcina illa quadantenus, vel semel & decenter quidem dispersa redire, vel in pristinum statum reverti possit ac soleat; nisi planè conjuncta illa curatio fuerit, cum detrimento corporis vel sanitatis. Imprimis autem post diætæ regimen legitimè institutum evacuationes corporis variaz arripiendæ sunt; veluti pariter hoc cautionibus certis unà injunctis monet *Celsus noster l. 4. § 2. Aph: 22.* Quod verò pingvedinis materia fluida facta subinde cum urina vel alvinis excrementis secesserit & ejecta fuerit e corpore; item quòd sudor colliqvativus corporis habitum destruens interdum observatus sit, (unde curatio analogæ & possibilis colligi potest) id nostrâ probatione amplâ jam non indigere existimamus.

Sistit jam se nobis in curationis fronte venæsectio, cui verò instituendæ non annuunt omnes autores, inter quos reperies *Rod: à Castro de morb: mul: part: 2. l. 3. c. 3. p. 334. Fallopius l. 4. c. 5. p. 332. & Joan. M. Castellanus in phylacterio phlebotomia p. 19.* Contrarium potius effectum, scilicet obesitatem & incrementum corporis exinde emergere, patet ex *Actis Philosoph: Anglic: Latine redditis in Anni 1669. p. m. 57.* Fieri potest, indicant, ut arbores melius succrescant, & uberiores fructum producant, si recta methodus extrahendi succum in hunc finem reperiatur; sicut nonnulli crebrâ phlebotomiâ pingviores fiant. Hoc dictum non planè negaverim, qui enim temperatis humoribus corporis gaudent, eorundem sanguis mitis ac nutritioni aptus hæc ratione reddi, & simul cum illo obesitas augeri potest. Negat quoque cum aliis obesitatem imminui à venæsectione *Mercurialis l. 4. p. 31.* Monet equidem *Lad:*